

sem ex codice tam vetusto descriptum esse opinemur, ita mutatae inter se litterae n et u, a et q, f et f quale ad exemplar redeat haud dubie indicant.

Explicitis quae in universum ad librorum mss memoriam pertinebant non alienum videtur etiam de corruptelis earumque emendandarum ratione pauca subiungere. respicienda autem sunt, si exceperis quaedam dittographiae et interpolationis exempla, tria mendorum genera, quae sanantur aut corrigendis litteris aut explendis lacunis aut transpositione verborum. et primo quidem corruptelae genere maxime laborare eas partes, quae numerorum multitudine scatent, consentaneum est. inveniuntur tamen et in his quae magna cum probabilitate corrigi possint, quemadmodum sunt fistularum moduli (cap. 39—63), quos post Poleni et Buecheleri measque ipsius examinationes rogatu meo Martinus Lindow nescio diligentiore an amabiliore cura denuo ad calculos vocavit. at vero erogationum expedire rationes (cap. 78—86) vix cadit in potestatem, quoniam quo tandem in numero ab librario erratum sit plerumque diiudicari nequit. sed ea quae perperam lecta scriptave sunt levia sunt prae eis, quae totorum verborum atque etiam sententiarum defectu hiant, quam praecipue iniuriam passum esse Frontini opusculum vel inde adparet, quod librarius, ut erat diligentissimus, haud paucis locis relicto spatio albo desiderari aliqua ipse monuit praeterea comparentur inter se cap. 26 et 38, quibus eadem res casu bis tradita est ita ut plerisque locis c. 38 ex capite 26 expleri possit, illud autem verbis *digitus — aequalis est* (p. 19, 1) capite 26 sit plenius. ita vix unam paginam maioribus minoribusve lacunis carentem invenies, ex quibus quasdam tractandas, quia pluribus verbis opus est, huic praefationi reservavi. audiamus igitur quae Hirschfeldius (D. Kaiserl. Verwaltungsbeamten p. 206) disputat de eo loco qui misere corruptus sic traditur p. 41, 9 *itemque cum viarum curatoresque frumentique parte quarta anni publico fungebantur ministerio, ut curatores quarum iudiciis vacent privatis publicisque.* secundum ea fere scribendum esse v. d. autumat: *itemque cum viarum curatores*